

De methodo theologiae

De bono humano

1 Verum et falsum sunt in mente; bonum et malum sunt in rebus. Quare, qui de bono quaerit, de concreto, actuali, quaerit.

2 Bonum humanum: non totum bonum respicit, uti in ontologia boni; sed illud tantum quod ex analysi rerum humanarum manifestatur.

3 Schema

Subiecti potentia,	actus,	mediatio socialis,	obiectum
indigentia-capacitas	operatio	cooperatio	bonum particulare
perfectibilitas	habitus acquisitus	instituta	bonum ordinis
libertas	orientatio interpersonales	relationes	valores terminales

4 Annotationes

a Indigentia-capacitas, e.g., fames est indigentia, cui correspondet capacitas cibos quaerendi, manducandi.

Operatio, cooperatio, e.g. Robinson Crusoe, vel membrum societatis

Bona particularia: quae in se sunt particularia, et indigentis particularibus respondent; ita hoc pomum, hoc prandium, haec visio beata

b Transitur ex prima ad secundam lineam quia in genere bona particularia non sunt aeterna sicut visio beata sed transeuntia; homo vult non tantummodo hoc prandium sed prandium cotidianum.

Bonum ordinis: materialiter dicit non tantum appetibilia (bona part.) sed etiam appetentes, appetitus, appetitiones, media quibus appetibilia attinguntur; formaliter dicit talem ordinem de facto effectivum ut recurrentibus recurrunt etiam bona particularia

Quare agitur de ideali quodam, de eo quod esse debeat sed de facto non est, quod efficax esse debeat sed efficax non est; sed unice agitur de illo ordine,

ordinationum complexione, unde de facto in hac societate hic et nunc bona particularia recurrunt.

Non agitur de illo ordine prout theoretice concipitur; eiusmodi conceptiones possunt esse verae vel falsae, et semper sunt magis abstractae quam actualis ordo, magis fixae et immutabiles quam actualis ordo.

Instituta sunt: familia, societas, educatio, moralitas, status, ius, oeconomiam technica.

Sunt bases difficile mobiles et communiter agnitae unde fiunt cooperationes et unde habetur bonum ordinis.

Non sunt vel ipsae cooperationes vel ipsum bonum ordinis, sed ad haec comparantur sicut potentia ad actum, sicut conditio ad conditionatum

E.g., institutum familiare non facit ut singuli homines uxores ducant, sed facit ut talis sit familia si matrimonium ineatur; pariter, stante eodem instituto familiari, aliud et aliud est bonum ordinis in diversis familiis

Instituta oeconomica non faciunt ut homines laborent sed determinat quid emolumenti percipiant si laborant; et eodem manente instituto tempore bono et depressiones oeconomicae sibi succedunt (h. e., bonum ordinis nunc floret et mox decedit).

Perfectibilitas, habitus acquisiti, iam superius explicati sunt.

Homo est perfectibilis in quantum per exercitium, addiscentiam, persuasionem eo pervenit ut prompte, faciliter, delectabiliter ponat quamlibet ex complexione combinationum operationum differentiarum.

Specializatio est ordinatio particularis ad munus quoddam determinatum in institutis exercendum. Ita a puero quaeritur quid futurus sis. Qui respondet se fore astronautam, vehiculi publici conductorem, Romanum Pontificem, etc.

Specializatio est vel a natura (mas femina; dona particularia; aptitudo naturalis) vel ex habitibus acquisitis.

c Transitur ex secunda linea ad tertiam quando observatur nulla instituta, nullum ordinis bonum, esse unicum possibile.

Familia potest esse patriarchalis vel matriarchalis, monogamica et polygamica, monogamia permanens et monogamia serialis

Educatio potest esse classica, philologica, moderna, scientifica, technica.

Ius potest vel quam maxime consuetudinarium unde iudices magnam discretionem personalem adhibere possunt, vel potest esse quam maxime codificatum unde iudices nisi determinationes legales sequi neque debent neque

possunt. Multi sunt gradus intermedii; neque codices omnes eadem de omnibus determinant.

Capitalismus, socialismus; democratia, totalitarianismus; ...

Iam vero pueri de bonis particularibus disputant, pugnant;.homines de bono ordinis; ...

Valor, valores, dicunt cur hic ordo potius quam ille eligendus sit; valor ergo est ratio proxima rationalem appetitum movens

Diversimode a diversis concipitur

Reductionistae valorem ponunt in quadam maximizatione bonorum particularium; Bentham, greatest happiness of the greatest number; calculus hedonisticus

Quibus opponuntur qui ideale quoddam agnoscunt aestheticum, intellectuale, morale, religiosum, unde 'id quod esse debet' sensum habet qui ad maximizationem bonorum particularium reduci non potest.

Orientatio, scilicet, directio in quam tendit usus libertatis.

Nulla directio, homo inauthenticus, non vult nisi illa quae caeteri volunt; et caeteri similiter

Orientatio deliberata, vel in maximizationem bonorum meorum, vel in maximizationem bonorum pro omnibus, vel in ideale quoddam aestheticum, intellectuale, morale, religiosum.

Ipsa orientatio est valor originalis, originans, secundum illud Kant, nihil est simpliciter bona nisi bona voluntas.

Unde distinguitur a valoribus terminalibus, socialismus, monogamia, ...

Hic recurrunt omnia quae de subiecto diximus, de eius horizonte, de eius conversione, de eius authenticia vel inauthenticia.

Relationes interpersonales (concreta apprehensio ordinis vitae humanae)

Oriuntur ex statu, (role), in institutis: ita vir uxor pater mater filius filia frater soror; professor, auditor; confessor, paenitens; ...

Oriuntur ex orientatione libertatis, et mutantur mutata hac orientatione

Priores secundum potentialitatem reiectam, suppressam, examinantur theoria Freudiana, secundum varia crimina familiae Laii

Posteriores examinantur dialectica interpersonalis: Dominus-servus, Hegel, Phänomenologie; Fessard: Iudaeus-Paganus